



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 24. Varia scripta contra censuram.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

episcopo in scriptam, in qua accusatio-  
num capita, quæ ipsis Lovanienses  
Doctores objecerant, falso sibi impu-  
tari asserunt, jactitantes, quod propo-  
sitiones illæ censuris notatæ ad fini-  
strum sensum detortæ fuerint: denique  
die vigesima Martii Collegii Rector ad  
eundem Præfulem Lessii apologiam  
transmisit, quæ a Jesuitis Romæ di-  
scussa, atque approbata fuerat, ubi e-  
tiam idem Lessius quasdam adjecerat  
annotationes in Duacensem cen-  
suram: porro ibidem Rector coram Archiepi-  
scopo, quod ambæ facultates perpe-  
ram Jesuitarum sensum intellexerint,  
querebatur, quinimo asserere audebat,  
quod nequidem statum quæstionis asse-  
cutæ fuerint: dein Archiepiscopum ro-  
gabat, quatenus interposita auctoritate  
sua utramque Academiam eo adige-  
ret, ut præsentibus Gandavensi, ac Mid-  
delburgensi Episcopis, necnon veteris  
Scholæ Doctoribus juxta ejus arbitrium  
seligendis amica disputatio haberetur:  
cum vero ejusmodi petitio in novæ  
Scholæ injuriam redundaret, hoc col-  
loquium nullatenus fuit institutum.

## §. XXIV.

*Varia scripta contra censuram.*

Interea diversa subinde scripta divulga-  
bantur, quæ tamen non nisi ad fo-  
L. 4 . . . . . venda

Sæcul. XVI.  
A.C. 1587.

*Hist. contro-  
de aux. l. 5.  
c. 7. p. 17.*

Sæcul. XVI. A.C. 1587.           
 venda diffidia conducebant, ac præpri-  
 mis Jacobus Tanzelius Ecclesiæ Col-  
 legiatæ Cortracensis ad sanctam Mariam  
 Decanus, & Lovaniensis Universitatis  
 Licentiatus die vigesima secunda Apri-  
 lis scriptum quoddam edidit: insuper a-  
 liud quoque die undecima Maji Midel-  
 burgenfi Episcopo inscriptum eruditus  
 ille Dogmaticus Thomas Stapletonus  
 Theologicæ Facultatis Duacensis Doctor  
 concinnabat, in quo querebatur, in vul-  
 gus spargi, quod ipse hanc censuram  
 approbasset, cum tamen is ceteris prior  
 sese eidem opposuisset. Denique ter-  
 tium scriptum complectebatur epistolam  
 Petri Simonis Tiletii, qui anno Christi  
 millesimo quingentesimo octogesimo  
 tertio Rithovio in Yprensi Episcopatu  
 succedens fatebatur, quod Facultatis  
 iudicio in sui Metropolitanæ obsequium  
 quidem subscripserit, doctrinam tamen  
 hisce censuris oppositam nequaquam  
 veluti hæreticam, Pelagianam, & fal-  
 sam notarit, imo nequidem illam dam-  
 naverit, cum circa hæc quæstiones  
 sententiam pronuntiandi auctoritatem  
 sacræ Sedi reliquerit: ad hæc Mogun-  
 tina, Trevirensis, atque Ingolstadien-  
 sis Universitates Lessii doctrinæ suffra-  
 gabantur, ac censuram carpebant, &  
 quidem Moguntina die prima Maji suam  
 proferens sententiam ita asserbat: do-  
 „ctrina

„ctrina a Lovaniensibus Doctoribus dam-  
 „nata, spectatis Jesuitarum explicationi-  
 „bus ab omni hæresis, errorisque suspi-  
 „cione exempta est, quamvis opiniones  
 „contrarias adhuc probabiles esse cen-  
 „seamus.„ Trevirensis Universitas cen-  
 sebat, quod propositiones tam in censuris  
 contentæ, quam a Jesuitis Professoribus  
 prolatae in Scholis probabiliter propug-  
 nari valerent. Denique Ingolstadiensis  
 Academia totam quæstionem ad sex re-  
 vocat propositiones, quibus se favere de-  
 clarat.

§. XXV.

*Nuntius Coloniensis ad terminandam  
 hanc litem a Papa missus.*

Cum interim ejusmodi scriptis dissi-  
 diorum flammæ adeo non extingue-  
 rentur, ut potius indies magis accendi  
 viderentur, supremus Jesuitarum Mode-  
 rator Papam sollicitabat, ut is disputa-  
 tionis æstum sua auctoritate sedare sa-  
 tageret, quam in rem pariter ad eun-  
 dem Pontificem Doctorum censuram,  
 & Lessii apologiam unacum libello sup-  
 plici per Bellarminum confecto trans-  
 misit: igitur Sixtus V. cum ipsemet ce-  
 leberrimus esset Theologus, vix per-  
 ceptis propositionibus, quas Lovanien-  
 sis, & Duacensis Universitates damna-  
 verant, mox illas in publico Purpura-  
 torum Senatu hanc in rem coacto præ-  
 legi

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1587.

*Hist. de au-  
 xil. Eleuth.  
 l. 1. c. 13.  
 pag. 41.  
 Hist. aux l.  
 Blanc. p. 20.*